

Hermann Lembke

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis, Hermannus Lembke/ I.U.D.  
& Codicis Profess. Ad Exequias quas Matronae ... Elisabethae Knörcken/ Viri ...  
Dn. Johannis Tarnovii, S. S. Theol. D. & Prof. Publ. Viduae relictæ Liberi  
Moestissimi Hodie ... paratas cupiunt Omnes omnium Ordinum Cives  
Academicos peramanter invitat**

Rostochii: Kilius, [1658]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn771571518>


Druck Freier  Zugang




Lembke, H.,

in E. Knörcken.

R. 1658.







PROGRAMMA  
Quo  
RECTOR  
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS,  
HERMANNUS Lembke/  
J. U. D. & Codicis Profes.

107.

Ad  
Exequias  
quas

*Matrona Honestissima ac piissima*

ELISABETHA

Knörcken/  
VIRI

p. m.

*Plurim. Rever. & Excellentiss.*

DN. JOHANNIS TARNOVII,  
S. S. Theol. D. & Prof. Publ.

Viduae relictæ

LIBERI MOESTISSIMI

Hodiè ad horam I. pomerid. in Temple  
Jacobæo paratas cupiunt.

Omnes omnium Ordinum Cives  
Academicos peramanter invitât.

ROSTOCHII

Typis Hæredum NICOLAI KILII, Acad Typ.



**Q**uam omnia brevia & caduca sint, & infiniti temporis nullam partem occupantia, ut Senecæ verbis utar, luce meridianâ clarius nemini non patet, & ipsarum experientia fragilisq; vitæ humanæ imago satis superq; testatur; quâ de causâ longioribus verborum ambagibus eandem hic ob oculos ponere operæ pretium non putamus; utpote quos quotidiana convincunt exempla, & qui vix ullum diem sine pompa funebri transire videmus, imò verò quibus constat, integra regna, gentes & regiones temporis tractu stare, incrementum sumere & funditus interire; quid mirum, si homo, qui, ex quo primum lucem vidit, iter mortis ingressus est, solvat naturæ quod debuit. Non, inquam, est quod miremur, sed si modo rectè calculum ponimus, quod gratulemur illis, qui ex

hac

hac mundi scena, postquam vitæ mi-  
mum commodè transegerunt, ad bea-  
titudinem minimè personatam evola-  
rūt; præprimis illis, qui ætatis senjo cō-  
fecti, & vivendo defessi calamitatem,  
suā anxie deplorant & nihil magis quā  
liberationē ab ætatis molestia, portūq;  
felicitatis, nullo tempestatis aut alteri⁹  
violentia periculo turbada expetunt;  
Nec sinistrè Dei iudicium interprete-  
mur, quasi iterum auferat, quod antea  
dederat: Scim⁹ n. terminū cuiq; esse  
præfixū, ultra quē progredi mortaliū  
licet nemini. Longissima illi vita fuit,  
qui spiritali meditatione mortem  
prævenit, & paratus est exire, quando  
hora suprema vel universalis iudicii,  
vel mortis sit eum evocatura, & in  
veram tandem patriam deportatura.  
Quale nobis præbuit exemplum ho-  
nestissima & omni virtutum genere  
ornatissima Matrona jam denata, quæ  
assiduo veræ pietatis exercitio ad hoc  
certamen ineundum jam dudū se fir-



maverat, donec coronam, tanquam  
victrix reportavit; de cujus laudibus  
quæ imbecilliori sexui conveniunt,  
prolixius verba facere hac vice super-  
sedemus, illud tamen tacere minimè  
possumus, quod piè defuncta vestigia  
Redemptoris sui præeuntis in pietatis  
cultu sincero, fidei ac spei integritate  
& dilectione proximi strenuè presserit  
& luxum, lasciviam, superbiam omnè  
exosa, ut verè vidua esset, unicè inten-  
derit: Curriculum vitæ ejus, prout à  
defunctæ genero, Viro plur. Reveren-  
do & Clarissimo DN. Mag. Enocho  
Swantenio, Archidiacono ad Div. Ja-  
cobum vigilantissimo delineatum, ver-  
botenus hic recensemus:

Nata fuit pientissima Matrōna Elisabetha  
Knörcken Rostochij, Anno 1601. ipsâ luce Lu-  
cia sacrâ, Patre Viro Cl. & integerrimo Domino  
M. Georgio Knörckenio, Matre femina ho-  
nestâ pariter ac piâ Catharina Krullen / ex  
antiqua Krulliorum familia oriundâ, Avus  
fuit vir probus & spectatiss. Dominus Petrus  
Knörcke, Not. Publ. Avia Elisabetha Peter-  
sen

sen, Matrōna honestissima. Majores, ex quibus natales suos honestè deduxit, <sup>maxime</sup> nostra, ab ipsa Reformat. & superiori seculo prolixè hic recensere supervacaneum est. Regenerationis lavacro sacris initiata Deoq; consecrata, piè ac modestè fuit educata: Anno 1624. 15. Junii elocata viro Perquàm Rev. Excell. Clariss. Dno. Johanni Tarnovio, SS. Th. D. ac Prof. longè celeberrimo, cujus memoria sit in benedictione. In conjugio quinquennali, sat brevi, attamen pacatissimo, liberos enixa est duos, Filium, nempe, Virum Rev. & Clariss. Dominum Johannem Tarnovium, Ecclesiæ Hauniensis Teutonicæ verbi div. Ministrum fidelissimum, Filiam, Catharinam, mihi M. Enocho Swantenio, ad D. Jac. Archidiacono nuptum datam. Cæterùm ab Anno 1629. 22. Jan. per ipsos triginta annos suo vidua carens marito, ærumnosas viduitatis experta est molestias,

*Verè mali taberna, curarum mare,*

*Palestra luctus, officina cladum,*

*Fomes dolorum, mors (ut absolvam) mèra.*

hoc ipsi quod transegit tricennale viduitatis spatiū fuit non nisi patientiæ Gymnasium. Deo interim dedita, ut pietatis & modestiæ erat studiosa, vitam Christianā viduā dignā, ad extremum vitæ haticum piè patienterq; pro traxit. Infirmo quæ præter hoc ut plurimum erat corpore, ante semestre spatium de Scorbuto quæsta est præcipuè, qui per se decim & quod excurrit septimanas atrocius invalescens invadensq; corpus, planè tandem lecto eam ita tenuit

nuit affixam, ut nec pedes per hanc hyemem domo  
efferre, nec pedtus, adhibitâ licet omni Medico-  
rum diligentîâ, à tussis exasperatione, viriumq;  
prostratione omnimoda liberum præstare potue-  
rit. Nugis igitur rerum mortalium receptui canens,  
divinis sese meditationibus & sacris precationib9  
totam dedit, & sarcinulis suis collectis ad *inhabitationem*,  
illudq; præprimis Panchestron se convertit, quod  
animæ pariter & corpori ad salutem mederi pote-  
rat. Eum in finem 13. Febr. Confessionarium suum  
Virum pl. Rev. & Excellentiss. Dn. Joh. Quistor-  
pium, SS. Th. D. & Professore, ad D. Jac. Pasto-  
rem fidelissimum, Dn Collegam & fratrem in Chri-  
sto conjunctissimum advocari curavit, qui, ut ipse  
tunc infirmiorum erat laterum, per vicarium Dn.  
Collegam, Virum Rev. & Clariss. Dn. M. Theoph.  
Großgebawren / collegam iidem & fratrem in  
Christo dilectum, eam curavit, præviâ devotâ pec-  
catorum confessione, sacramento Corporis & San-  
guinis Jesu Christi epulo refocillandam. Salutarî  
hoc viatico instructa constanti fide ac devotione,  
postquâ domum suam disposuisset benè, precesq;  
dulcissimas me aliisque præcuntribus, ad vesperam fe-  
xè protraxisset, verbis his subinde repetitis: Ach  
Herr Jesu hilf mir ritterlich Xingen / durch Todt und  
Leben zu dir dringen! circa sextam vespertinam piè  
ac placidè animam redemptori reddidit, inq; æter-  
nam vitam & immutabilem, ex hac fugacissima, ceu  
fessus viator è semita & conviva satur ab epulo, be-  
atè emigravit, Mixta nunc est beatissima hæc ani-

ma numerosæ cœlestium Candidatorum catervæ sanguine agni immaculati purpuratorum, quem textum jam diu ante ex Apoc. 7. sibi elegerat funebrem Ut anima piè defunctæ Matronæ vivit in deliciis mille, & in exultatione jam merit cœlesti planè ac ineffabili, ita corpus quiescat in pace! resurgat in gloria! Fiat! Fiat!

Interim Nos quod attinet, pio ac debito luctu hoc funus prosequamur, non in lachrymas & planctus muliebres nomine Christiano minimè convenientes & nihil proficientes effusi, sed pià mortis recordatione & devotà ad eandē præparatione. Facilius enim nos illi dolor adjiciet, (ut Senecæ rursus mea faciam) quàm illam nobis reducet. Nec est, quod dicamus potuit diutius vivere, Illa diu satis vixit & emerfit è tot malis, quæ nos undiq; in hoc vitæ stadio circumstant, illa tetigit portum, ad quem omnès tendimus. Quapropter, cū illa sancta anima ad ineffabilia cœli gaudia jam transierit, & corpus, hospitium illius, hodiè dormitorio suo inferendū sit, nostrū erit, Cives Academici, ultimum quem debemus  
honor.

honorem ei non denegare postulat id-  
ipsum non solum officium nostrum, sed  
etiam TARNOVIANÆ familiæ dignitas, e-  
jusdemq; merita in Academiã hanc col-  
lata quamplurima; postulat nostra ipso-  
rum conditio mortalis, cujus memoriã  
si piè coleremus & assiduè ob oculos  
positam haberemus, minus flagitiorum,  
charitatis autem & officii Christiani plu-  
rimum in mundo superesset. Adeste igitur  
frequentes, & mecum laudatissimæ  
quondam nunc beatissimæ Matronæ ite  
exequias & inter eundum,

*Quis scit an adjiciat presenti crastina summe  
Tempora rara DEUS.*


Et annon

*Quos sol oriens validos ac vegetos vidit,  
Idem eosdem flaccidos & emortuos cernat:*

Piã mente cogitate, vitamq; ve-  
stram ut & utramq; Rempubl. summo  
omnium rerum Moderatori seriis preci-  
bus commendate. P.P. Rostochii  
sub Sigillo Rectoratus, die 23. Fe-  
bruar. Anno 1658.

Conventus fiet in templo Jacobæo  
horã i. pomerid.





GUSTAV KOCH  
Buchbinderei  
ROSTOCK.





sen, Matrona honestissima. Majoribus natales suos honestè deduxit, <sup>parat</sup> ab ipsa Reformat. & superiori seculo recensere supervacaneum est. Reg. lavacro sacris initiata Deoq; consecrata modestè fuit educata: Anno 1624. 15. J. viro Perquàm Rev. Excell. Clariss. D. Tarnovio, SS. Th. D. ac Prof. longè cujus memoria sit in benedictione! quinquennali, sat brevi, attamen paceros enixa est duos, Filium, nempe, V. Clariss. Dominum Johannem Tarnovsiae Hauniensis Teutonicæ verbi div. N. delissimum. Filiam, Catharinam, mih. Swantenio, ad D. Jac. Archidiacono nu. Cæterùm ab Anno 1629. 22. Jan. per 11 annos suo vidua carens marito, ærum tatis experta est molestias,

*Verè mali taberna, curarum mare,  
Palestra luctus, officina cladum,  
Fomes dolorum, mors (ut absolvam)*

hoc ipsi quod transegit tricennale viduitas fuit non nisi patientiæ Gymnasium, dedita, ut pietatis & modestiæ erat sit Christiana viduâ dignâ, ad extremum piè patienterq; pro traxit. Infirmo quod ut plurimum erat corpore, ante semper de scorbuto quæsta est præcipuè, qui quod excurrit septimanas atrocius invadensq; corpus, planè tandem, led

